



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 3. Parentes possunt-ne liberos suos baptizare?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

*Quaest. 3.* Parentes possunt-ne liberos suos baptizare ?

*Resp.* Non debent eos omnino baptizare nisi in necessitatis articulo. *Parentes autem*, inquit *Divus Carolus*, omninò caveant ne liberos suos baptizent absque manifesta necessitate: cum scilicet alii quoquo modo apti non adsunt, & periculi urget necessitas. Quod ipse etiam monebit, prout usu aliquando venit.

*s Carol. ibidem,*

*Quaest. 4.* Pater qui baptizavit Filium in casu necessitatis, potest-ne petere ab uxore debitum matrimonii ?

*Resp.* Potest, ut ait *Joannes VIII.* relatus in Canone. *Dicimus*, inquit Pontifex scribens Episcopo Lemovicensi qui eum hac de re consuluerat, *omittendum esse*, & *inculpabile judicandum quod necessitas intulit*. Nam hoc baptizandi opus Laicis fidelibus juxta *Canonicam auctoritatem* si necesse fuerit facere, liberè conceditur. Unde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, sacri unda *Baptismatis* lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi jam regnaturum sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur; idcirco sua uxori sibi jam legitime sociata impunè, quandiu vixerit, judicamus manere conjunctum.

*Can. Ad limina. 30 q. 1.*

*Quaest. 5.* Qui baptizatus non est, potest-ne alterum baptizare ?

*Resp.* Certum est, quod potest, ut declarat *Nicolaus Papa* consultis *Balgarorum* respondens: *A quodam*, inquit, *Judeo*, nescitis utrum *Christiano*, an *pagano*, multos in patria vestra baptizatos asseritis: & quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto, si in

*Can. A quodam. De Contrafact. dist. 4.*